



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem**

**Scardeone, Bernardino**

**Venetiis, 1542**

Diu Hieronymi conatus ad custodiendam castitatem ex sui ipsius scriptis  
cap. lvii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30433**

#### DE RATIONE COERCEN. LIBID.

& frigora: quatenus cibum potius, quam lasciuam cogi-  
tes. Franciscum quoque uirum sanctissimum, eiusmodi  
quoadque incensum flammis, uoluisse se niuibis nuda  
corpore accepimus, ut eo gelu ardore carnis extingue-  
ret, & repugnantem sibi concupiscentiam eo remedio  
coerceret. Acris quidem ac penè atrox Francisci castiga-  
tio: at Paconii abbatis propemodum immanior, qui  
ad arcendum ueneris desiderium non gelu tantummo-  
do norat corpus affligere, sed etiam dilacerare uulneri-  
bus: Nudis namque pedibus uepres calcabat: & corpus  
rotum tribulis, aculeisque spinarum foedans se afflige-  
bat: ut eo dolore obscenæ libidinis stimulus medere-  
tur. Itidem factitasse et Benedictum abbatem ferunt: qui  
ut uisæ aliquando foeminae memoriam, et incestas cogi-  
tationes à se procul pelleret, nuda consueuerat ferire sen-  
tibus membra, et crebro rotatu, hirsutis secare corpus  
aculeis, ut eo remedio mentem ab aculeis aliis affectâ,  
& fauciam liberaret. Bernardum et ipsum quoque abba-  
tem, Euagariumque presbyterum, alterum in lacum, alter-  
rum in puteum descendere solitos hibernis noctibus tra-  
dunt, ut carnis incendia gelaescentium aquarum algori-  
bus mitigarent.

Diui Hieronymi conatus ad custodiendam castita-  
tem ex suis ipsius scriptis. Cap. LVII.

**Q**uid etiam non fecit præstantissimus doctor no-  
ster Hieronymus, ne quando his laqueis capere-  
tur: utque leuaret sese iis flammis posset. Hæc  
enim ipse de se eleganter, sed minime arroganter ait.  
Quod quamuis omnibus ferme notum sit, atque à plus-  
ribus rerum scriptoribus repetitum, tamen nec breuita-  
tis studium ne rei repetendæ fastidium, potuit me retrahere  
& hac narratione, quæ magnum lectoribus fructum  
erunt: & non minus huic nostræ descriptioni afferat ornam-

mentum, O quoties, inquit, in eremo constitutus, in illa  
 uasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum  
 monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis  
 interesse delictis. Sedebam solus, quia amaritudine reple-  
 tus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida  
 cutis situm ethiopiæ carnis obduxerat, quotidie lachry-  
 mæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem uigi-  
 liam somnus immines oppressisset nudæ humo ossa uix  
 hærentia collidebam. De cibo uero, & potu taceo, quum  
 etiam languentes monachi aqua frigida utantur: & con-  
 cium aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego quod ob-  
 gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram: scro-  
 pionum tantum socius, & ferax, sæpe choris intereram puella-  
 rum. Pallebant ora ieiuniorum, & mens desideris æstuabat, in-  
 frigidum corpe, & ante hominem sicca iam carne præmortuum:  
 sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitu-  
 tus ad Iesum iacebam pedes, eos rigabam lachrymis, crine  
 tergebam: & repugnantem carnem hebdomada inedia sub-  
 iugabam. Non erubescam confiteri infelicitatis meæ mis-  
 seriam: quin potius plango me non esse, quod fuerim. Me  
 mini me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte: nec pri-  
 us à pectoris cessasse uerberibus, quam rediret domino im-  
 perante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi con-  
 gitationum mearum conscientiam pertimescebam, & mihi met-  
 iratus, & rigidus, solus deserta penetrabam. Et reliqua  
 quæ ibidem ab eo elegantissime referuntur.

Cohortatio ad proterendam carnis petulan-  
 tiam ex superioribus exemplis  
 sanctorum. Cap. LVIII.

**V**idete quæso quam parum sit, in ea re, fidendum huma-  
 nis uiribus, quantoque labore, et nisu obstandum, nec  
 carnis obruamur procellis. Quis est hac nostra  
 tempestate, tam sanctus, tam constans, tam Deo charus, ut post ta-  
 les, tantosque uiros putet se tutum esse in his periculis, ac non